

toris felici sagacitati tribueret. Aliter judicabunt qui non tenentur eadem de librorum Aeschyleorum stemmate opinione praeconcepta.

Non minus memorabilis est in Promethei versu 433 librorum recentiorum omnium lectio *βοᾶ δὲ πόντιος κλύδων, ξυμπίτων στένει βυθός*, quam vel Kirchhoff recepit, ubi Mediceus habet *βοᾶ δὲ πόντιος κλύδων ξυμπίτων στένει βαθύς*, super *βοᾶι* scripto *η*, et addita glossa *τῆ βοῆ*, ab eo scilicet qui lectionem vitiosam quocunque modo interpretari vellet. In ejusdem fabulae v. 706 *θυμῶ μάθ'* Mediceus, quum recte ceteri *τοὺς ἐμούς λόγους θυμῶ βάλ'*, *ὡς ἂν τέρατ' ἐκμάθης ὁδοῦ*.

Septem v. 252 *οὐκ ἐς φθόρον σιγῶσ' ἀνασχῆσει τάδε* recte libri omnes, Mediceus solus (nam manus recentioris ratio non est habenda) *οὐκ ἐς φόνον*. Persarum v. 1060 *πέπλον δ' ἔρειδε* solus Mediceus pro *πέπλον δ' ἔρεικε*.

Etiam majoris momenti sunt leviuscula quaedam ad formas verborum spectantia. Hujus generis est *πρᾶγος* in Septem v. 804, ubi Mediceus *πρᾶγμα, κεκλήσεται* in Promethei v. 840, ubi Mediceus *κληθήσεται*. In his locis Mediceum veriora et antiquiora tradere non facile mihi persuadeas. Solent librarii ad vocabula exquisitiora tritas et consuetas voces adscribere, formis atticis substituere vulgares, non poëtica et antiqua pro usitatis subjicere. In Euripidis Troadum v. 13 libri meliores habent *κεκλήσεται*, deteriores *κληθήσεται*.

Inveniuntur passim in Aeschylo, ut in aliis scriptoribus, monstra lectionis inde orta quod variae scripturae in unam a librariis conflatae sunt. In Persarum v. 581 pro *δαιμόνι' ἄχη* Mediceus habet *ἐραδαιμόνι' ἄχη*, quo significari videtur fuisse qui *οὐράνι' ἄχη*, quod in loco antithetico (v. 573) poëta posuit, etiam hic reponendum esse censerent. Et hoc quidem etiam Sorof intellexit. Sed libri plerique non *ἐρα*, sed *ἐρανται* aut *ἐρρανται* exhibent. Haec correctoris licentiae tribuenda esse nego: nam cum sequatur *κλύουσιν*, quid alterum in eadem enuntiatione verbum sibi vellet? Neque audiendus Hermann, qui *ἐρρανται* in versum